



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Facilis Et Succincta S.S. Canonum Doctrina

Pirhing, Ehrenreich

Dilingæ, 1690

§. IV. De modo procedendi judicialiter contra Clericos criminosos.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61641](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61641)

multa Advocatorum, aut partium iurgia, lype; fluxu probationes &c. videatur *Clement. sepé 2. De V. S. & Extravag. Frequentes inter communes h. Tit.*

§. IV.

De modo procedendi Iudicialiter contra Clericos criminosos.

EX cap. *Cum non ab homine 10. h. r.* modus hic desummi debet, ubi statuitur, quod Clericus (extenditur hoc communiter etiam ad Regulares) in quocunque ordine constitutus, etiamsi primâ tonsurâ tantum initiatus esset, propter furtum, homicidium, perjurium, aut aliud simile grave crimen, si de hoc legitime convictus fuerit, ab Ecclesiastico Iudice sit deponendus (sive verbaliter degradandus per sententiam Iudicis Ecclesiastici) & si depositus incorrigibilis fuerit, quod sit excommunicandus, ac crescente deinde contumaciâ anathematizandus (cum solemnitate maiore, de qua infra in *L. 5. Excommunicari*) & si necdum respuerit, sed in profundum malorum venerit, cum Ecclesia non habeat ultra, quod faciat, per sæcularem potestatem, cui realiter degradatus tradendus erit, coerceatur, & puniatur. Putant quidem aliqui, modum hunc, contra Clericos criminosos non semper esse observandum, sed posse Clericum facinorosum in gravissimis delictis depressum, furtis v. g. sacrilegis, parricidiis, latrocinis &c. non expectatâ incorrigibilitate, statim degradari realiter, & tradi potestati sæculari puniendum, ut bono publico, & Cleri reverentiæ magis consulatur; verum alii communius, & probabilius putant, etiam propter enormia scelera, non posse Clericum statim tradi

Curie sæculari puniendum, nisi sit incorrigibilis, aut nisi casus sit à jure exceptus, non tantum ob textum cit. Cap. *Cum non ab homine* generaliter loquentem, sed ob textum etiam cap. *Tua 6. de poena.* Ubi de latrocinis, & furtis qualificatis Clericorum puniendis respondet Pontifex, deponendos eos esse (verbaliter) & ad agendam poenitentiam in Monasterium detrudendos, vel in carcerem concludendos, ergo nec ob gravissima delicta commissa statim sunt realiter degradandi, & Curie sæculari tradendi, quod apertius esse patet ex Cap. *in fama 35. De sent. excommunicationis.* Sunt autem in jure casus aliqui excepti, in quibus si deliquerint Clerici, non expectatâ incorrigibilitate, sæculari Curie puniendi tradi possunt. Crimen hæresis scil. cap. *Excommunicamus, 13. §. Damnati.* & cap. *Ad abolendam 9. §. 1. de hereti.* Crimen falsationis litterarum Apostolicarum c. *Ad falsariorum 7. de Crimine falsi.* Conspirationis, seu insidiarum structurarum contra proprium Episcopum. *Can. si quis 18. caus. 11. q. 1.* crimen assassini, crimen nefandum contra naturam; non ordinati in Sacerdotes, si missas tamen faciant, confessiones excipiant &c.

§. V.

De aliis quibusdam observandis à iudice, vel partibus litigantibus in Iudicio.

Citatio per edictum, per quam firmatum iudicium, perpetuatur, & prævenitur iurisdicção, non tantum locum habet respectu Pontificis citantis, aut ex illius commissione juxta *Clement. Dudum 1. h. tit. & Extravag. 2. inter Com. de dol. 63*

G g 3

continuum